SERMO PEDESTRIS.

Ἀγ', ἢν σ' ἐρωμαι δύο λόγους προθεῖσ' ἅμα,
Πότερα τυραννεῖν, ἢ πόλιν σῶσαι θέλεις;
Ἐρεῖς τυραννεῖν;

EURIPID.

Ὦ πατερὶς, εἴθε παῖδες, οἳ ναίουσί σε,
Οὕτω φιλοῖεν ὡς ἐγώ. χ' ῥᾳδίως
Οἰκοῖμεν ἄν σε, κ' οὐδὲν ἂν πάσχοις κακόν.

Id.

LONDINI,

Apud T. COOPER, in *Pater-noster-row.* MDCCXXXIX.

(*Pretium* 1 s.)

A. H. C.

ET te ſeceſſiſſe gaudeo, & gratulor tibi tot clarorum virorum ſocietatem, qui juſta ab iniquis ſecernere nôrunt, & dignitati Reipublicæ conſulere, & ſuæ. Amor patriæ, & libertatis tuendæ commune ſtudium, quæ ſenibus vires, arma & animos fœminis miniſtrant, te fecerunt oratorem, & me poetam. Ac ſiquid in nobis eſt ingenii, hoc totum arbitror, irâ & metu omni depoſito, donandum eſſe Reipublicæ. Diis enim, quibus & ſpiritus noſtros, & divina & humana bona omnia, ſtudia, otia, negotia debemus, tùm nos ſummas grates perſolvere confido, tùm nos hæc noſtra omnia auctoribus conſecrare, cùm patriæ conſecremus. Proh dolor! Etſi vera hæc ſunt & pulcherrima, nihil tamen valent apud APPII *forum; ubi omnes ad prædam ſtrepitumque auri oculos & aures convertunt, & naturæ dotes, ſi quas habent, ad civium perniciem & infamiam ſuam: Ubi neque ipſa Pallas, neque Muſarum cohors ſceleratorum impetus ſuſtinere queat, nedum reprimere; ni altera Meduſæum caput extulerit, altera Pharmaceutriam, quæ Ulyſſis olim mutavit ſocios, auxiliarem adduxerit. At, aliâ ſi non ratione, ſi non mortalibus auſis, numine ſaltem rebus noſtris quodam opitulante, nefariorum iſtorum audacia vireſque frangantur. Saxula nempè fiant, aut porci, aut quodcunque Dii velint, dummodò homines eſſe deſierint, qui civibus ſuis imperare meditantur, cùm dedecori, cùm cupiditatibus, cùm turpiſſimis vitiis ipſi parere non erubeſcant. De hiſce rebus, & dignæ ſunt, ſæpè tecum diſſerui; ſæpè inter nos diſſeri cupio. Quippe ita eſt mihi inſitus libertatis amor, ſapientûm omnium præceptis firmatus, & bonorum omnium exemplis,*

emplis, ut si quis Mercurius cœlo delapsus me in servitutem addicere vellet, neque mihi ille esset Deus, neque fidem ejus dictis (sit meis venia!) facilè adhiberem. Hæc est illa vis animi, quæ utinam per omnia mea opera præcipitanda foret, pedestribus etiam sermonibus & jocosis immiscenda. Neque ego, ut scis, lucri aliquid peto, cujus non indiget temperantia mea, neque gloriam ex libellis meis me capturum spero; nisi quæ, præmium virtutis, bonis omnibus absque invidiâ deferatur: Qualem & pietas tua, & sociorum tuorum consilia vobis detulerunt. Jam diù est, quòd te diligere cœpi, quia probus es, & doctus, & comis, & liberalis; jam nunc, quia optimè de Republicâ meritus es, teque colere & venerari. Bonos enim cives propemodùm ut Deos veneror; quorum arbitriis me totum trado, quorum judiciis permitto & scripta & studia mea omnia, quorum denique reprehensiones vel asperiorem censuram libentissimè patior. Fœdarum autem Harpyiarum voces & omina, quamvis sint Jovis famulæ, contemnere ausim; quæ, simplicitati carminum meorum maledicendo, sibimet ipsis maledicunt, & infandis contumeliis & criminationibus ineptias & scelera sua invitæ fatentur. — Atat nè tu me putes minùs aptè proœmiari, nunc herclè rogo, ut vaces sermoni, quem nuper habui cum aulico quodam, viro sanè callido & nasuto, versatoque aliquando in honestis cogitationibus, cùm nondum animum posuisset in loculis. Nostrum hoc colloquium versibus exprimere conatus sum, haud quidem satis poeticè, verùm ad historiæ fidem. Nihil igitur hic reperies splendidum aut excelsum, sed tenuiora omnia & leviora. Nam mihi quanquam est difficile, quippe seni & curis exercitato, aliquid ex rugis meis remittere, remisi tamen; nè grave & operosum carmen materiam superaret. Hoc unum verò diligenter curavi, ut Musa mea & pudica & sani coloris, ut est, esse videatur, nullo delationi loco relicto, sed neque dubitationi.

Quarto Cal. Junii,
M DCC XXXIX.

SERMO PEDESTRIS.

F. S. *A. A.*

F. S. SUNT queis diſplicuit *Miltonis Epistola; quippe
Qui agnovere ſuos antiquo in carmine vultus.
Hic, Ego ſum Pallas, inquit: Vos, nobile vulgus,
O ſocii, O proceres: Tu, blandi Puppius oris,
Mi Fanni: Tuque (O indignum!) venerande ſacerdos,
Comoedus certè. Tum Fuscum, Fufidiumque,
Et Caprium digito monſtrat, damnatque poetam.
Græculus hic alter, caſulam qui vertit in ædes
Marmoreas, hic qui modò crevit ab aſſe, ſuperbus
Conſultor, mihi jus minitatur, judiciumque,
Ignemque; & Muſas quærit violare Latinas.
Quid faciam, ſi nec recitare poemata, doctus
Quæ cecinit vates Carolo regnante, nec auſim
Diis patriis, laticeſque meis, ſua dona, Camœnis
Caſtalios libare, novumque intendere carmen?

A. A. At tibi Pindaricos numeros tentare licebit.
Tale tuum fiat carmen, nec gratius ullum eſt,
Quale ſuo mulcet modulamine Cæſaris aures,
Annua vota canit cùm lauriger † hiſtrio, Muſis
Invitis licet, & Phœbo renuente: Sed illi

* Vide Miltonis Epistolam nuper editam.

† Hic eſt ille hiſtrio ſeù pantomimus, qui noſtris ab optimatibus, ſuo ſeculo faventibus, donatus eſt laureâ, ſi non Apollinari, at regali tamen; quotannis donandus firmiſſimi vini dolio, ut nunquam niſi potus proſiliat ad Cæſaris laudes dicendas.

Adſpirant proceres; auditque vocatus Iacchus.
Te quoque jam audierit, properes modò dicere reges
Magnificè, argutâ citharâ fidibuſque canendos.
Cernis, ſit quantus CÆSAR GERMANICUS, armis
Et præſtans animo, pietate inſignis & ore;
Rex regum, certus Romani nominis hæres;
Induperatoris titulus cui ceditur uni.
Hunc tu cantato; ſeu reddat jura Polonis,
Seu jubeat pacem fuſos expoſcere Turcas.
Deinde novas vires, nova blandis laudibus effer
Fœderaque, & ſocios. Manibus da lilia plenis
Gallica, & intexens gemmis auroque, ſuperbis
Necte coronam aquilis. Sed non & vincula necte:
Sed non & belli cauſas, arteſque animamque
Ultricem, * BONEVALLE, tuam memorare neceſſe eſt.
Dic quoque res geſtas, & fortia corda PHILIPPI;
Cui montes auri Dii dant, & utroque ſub axe
Regna quidem meritis permittunt debita tantis.
Ille etenim, quas nec ferrum, maris ira, nec ignis,
Nec conjurati poterant terrere Gigantes,
Invictas ſiſtit claſſes, populique ferocis
Ductores jam nunc nutu tremefecit inermis.
Tùm plectro majore canas Juvenemque, Senemque
Qui bello & verbis contendere doctus, alumno
Quique ſuo advigilans aliena negotia curat,
Quique, ſuis monitis, effecit, ut omnia cedant.
Nimirùm emendat, regit, auget, donat & aufert
Res, urbes, gentes, commercia, fœdera mundi,
Magnanimûmque heroum fata, impunè licere
Et ſibi quæ voluit conjux violenta PHILIPPI,

* BONEVAL, dux Germanorum, natione Gallus, qui gravem ſibi immerenti a Germanorum Imperatore oblatam fuiſſe injuriam arbitratus, ad hoſtes transfugit.

Lancibus

Lancibus & quicquid ſuſpendit * HORATIUS æquis.
Si vetulo ridet terræ angulus unus & alter,
Protinùs imperio accedit. Fundum, ecce, laremque,
Et proavos, † LOTHARINGE, tuos ille impiger hauſit.
Te quoque, poſt nullos reges memorande, (palatum
Forſitan exacuunt annoſum ‡ Corſica mella)
‖ O THEODORE, parat ſpoliare, & pellere regno.
Cætera de genere hoc, nè te morer ordine longo
Regum, prætereo. Ipſe tamen celebrare memento
Sceptrigeros omnes. At non ſine numine nomen
Herois recines plumati auroque nitentis,
Terrificaſque viri criſtas; quem reſpicit Arctos,
Æquora cui parent, cui militat ultima Thule.
Quàm benè rem facies, ſi palpes undique, gnarus
Quæ teneat magnos blandiſſima formula reges?
Si titulis, ſi quod deſit virtutibus, addas
Fingendo bellè? Verùm nè quære moleſtus,
Albus, nécne ſuat, cui rerum ſumma poteſtas
Ab Jove conceſſa eſt. Sis corvum nactus, adorna
Auratis plumis, animoſque infunde viriles.
P. S. EHEU, non noſtrum eſt feſtum componere carmen;
Nec fas Heroas cuivis celebrare poetæ,
Quales nunc æquus præfecit Jupiter orbi!
Nam ſiquis pretium miſero pro carmine poſcit,
Turpis adulator ſi idem foret, oderis ultrò.
At ſæpè Aonii vatis latet anguis in ore:

* Nè in hoc nomine, mi lector, erres, te monitum volo, HORATIUM hunc neque Romanum eſſe, neque poetam, neque Muſis amicum, neque philoſophum, neque divitiarum contemptorem, neque tumultibus urbanis alienum; ſed fœderum, induciarum, pacis & belli oratorem nervoſum, volubilem, canorum, conſummatum; æqualitatis, æquabilitatis, æquanimitatis, æquilibritatis judicem unicum.

† Magnus Etruriæ Dux, Dux olim Lotharingiæ, Lotharingiam ſuam potentiſſimo Gallorum regi cedere coactus eſt.

‡ Qui Lotharingiam ad imperium ſuum jampridem adjunxit, jam inde Corſicam in provinciam redigere meditatus, miſerabile iſtius loci incolis infert bellum. Corſis autem, pro patriâ & libertate dimicantibus, ut omnia proſperè feliciterque eveniant, etſi precamur omnes; nemo tamen ex iis, quorum plurimum intereſt, auxilium miſeris auſus eſt mittere.

‖ Quidam THEODORUS, Rex Corſorum electus.

Ut,

Ut, cùm *Cadeni fictâ gravitate Camœna
Pelidæ ſtomachum, mentem ſapientis Ulyſſei
Auguſto dederit, dederit ditione tenere
Sauromataſque Getaſque, Indos & Sinica regna,
† Luſit magna ſonans. Ridemus, ridet & ipſe,
Quas jacit, ampullas, & falſa ſimillima veris.
Crede mihi, quiſquis fuerit, tu ſemper habeto
Suſpectum, magnas qui pergit dicere laudes:
Exceptis, aut quas charis debemus amicis,
Quaſve Minervæ artes, aut quas pia Muſa meretur,
Aut patriæ, aut ſibi quas Libertas aſſerit æquè.
Ipſe (fatebor enim) ſi quando tollor in altum,
Si meditor reges & prœlia, clarius & quò
Extet opus, Divos, quot nunc ſunt, quotque fuere,
Clamo ritè omnes; en, culta & blanda ſupernè
Deſinit in ſatiram mea pagina, vel malè ridens
Fabula magniloquum deformat carmen anilis.
A. A. Quin ſylvas, monteſque petas, tenuique Maronis
(Non tenuis laus eſt) imiteris arundine Muſam?
Tytirus, & ſegetes, atque ipſa arbuſta placebunt.
Nam modò Silenum vidi, modò Pana canentem,
Et tùm Sicelidas Muſas, quà Cæſaris hortos
Obliquis ſpectant oculis, ſed numine amico

* Anne hic de proſapiâ Cadeni Miltoniani? Aliuſque & idem. Extat F. Schefferi Epiſtola ad Cadenum noſtrum, cujus hoc eſt principium.

Semper culte mihi, ſemper, Cadene, *colende,*
O decus & patriæ tutamen! Crimina, curas,
Atque hominum mores, & quicquid pulpita damnant,
Seu nunc tu melius tractas irriſor acerbus;
Seu Phœbi ſtimulis igneſcens fundis Iambos,
Aut Stellæ *laudes recitas, & amabile carmen:*
Si locus eſt interpellandi, en barbarus audet,
Ire ſalutatum, veniamque expoſcere nugis.

Hanc Epiſtolam notis illuſtravit P. O. D. Quæ verò ad Cadeni nomen adjecit, hæc ſunt: Cadenus. J. Swift, S. T. P. S. P. D. *ſui ſeculi deliciæ, nec tàm patriæ, quàm humani generis decus. Si virtutes illius contemplemur, nemini ſecundus; ſi divinum mentis ingenium, omnibus major. Qui ſummam propter humanitatem, pietatem, eruditionem, ſtudiaque, quæ ſemper coluit, & ipſe literatis omnibus, quotquot nunc ſunt, & poſteris ſemper colendus. Linguam Anglicanam uſque ad faſtigium venuſtatis provexit, & feliciſſimis numeris luſit poeta. Quippe* Cadeni *ſpiritum, vim, & carminum ſuavitatem vel Flacci curioſa ambitio ſibi adoptaret. Sale facetiiſque Attico lepore tinctis facile ſuperavit omnes. Sed & in ſcriptis ſuis utile dulci ſemper permiſcuit: nec placere magis inſtituit, quam patriæ prodeſſe. Coloniam ſuam ſemel iterumque in libertatem vindicavit: in æternum vindicâſſet, bona ſi ſua nôſſent coloni.*

† Scripſit Cadenus Poema, quod inſcribitur *Rhapſodia.* Et hîc & alibi oſtendit Ironiam eſſe totam ſuam. Certè hercle in Ironiâ longè lepore elegantiâque omnibus præſtitit.

‡ Vatis

‡ Vatis Apollinei Tameſinæ Naiades ædem.
Hîc iterùm dulces gauderent rure Camœnæ,
Formoſi caneres ſi quos paſtoris amores.
F. S. Heu, quìd formoſi canerem paſtoris amores?
Quidve iterùm dulces gauderent rure Camœnæ?
Latè agros cùm vaſtat aper; ſecurus ubique
Cum lupus inſidias ſtabulis meditatur; & urſi,
Et rabidi prædam, cæſis cuſtodibus ipſis,
Ah, pecus infelix rapiunt impunè leones!
A. A. Sic te difficilis fecit natura puſilli
Ingenii? Hîc tibi quod fingis, genus omne ferarum
Somnia ſunt ægri. Poſthâc vel carmina nulla
Dicere erit, vel ſaltem quæ ſint propiora pedeſtri
Sermoni. *F. S.* Nullum liceat ſi condere carmen;
O longas noctes quî poſſim fallere, vel, quæ
Jam properata malis venit, oblectare ſenectam!
Nempè mihi, caream Muſis, ſolatia nulla,
Commoda nulla manent vitæ; primoribus ex quo
Deſpectus ſum potor aquæ, Venereſque, hilareſque
Convivæ, & veteres fugiunt mea tecta ſodales.
At quìd ſi, quoniam ſuades, ut carmina pangam
Sermoni propiora, leves aptentur Iambi,
Urbanique ſales (lucri eſt ſpes magna) theatro?
A. A. Si modò non deſit vis comica. *F. S.* Sin mihi deſit;
Conabor tragicus decora alta inducere ſcenæ,
Et lachrymas populo, † Paridique ‡ Agamemnona vendam.
A. A. Heu, vetitum aggrederis! nec fas intrare theatrum.
Scilicet id curat ****us. Ille cothurnos
Induit innocuos ‖Dolicho; prohibetque renaſci,
Si qua in honore fuit popularis fabula, ſi qua
Ambiguas jactat voces, arteſque virumque

* A. Pope; qui olim ſcripſit Bucolica.
† Paris, præfectus theatri.
‡ Agamemnon, tragœdia celebris.
‖ Dolichos, vel Docilis, nomen hiſtrionis apud Horatium, *Ep.* 18. *L.* 1.

Laudat, Io, quiſquis titulum mutaverit anni.
Sin autem incomptis peccat comœdia verbis,
Seu reticenda jocis prodat, ſeu miſceat acri
Ridiculum, celſæ ſeu mores improbet aulæ;
Defendit portas cenſoria virga theatri,
Et notat impuros, arcetque a limine caſto.
At ſibi ſi eſuriens veniam impetrat ipſa Thalia,
Candidus aut ſiquid Cenſor concedit amicis;
Quàm benè, quàm cautè penſat, caſtigat Iambos,
Explicat, emendat rigidos! Quàm multa litura
Perverſos cohibet procerum, plebiſque cachinnos!
Solus enim, fuerit cùm riſus idoneus, aut non,
Democrito novit meliùs; meliúſque Catone,
Cùm jocus, inſanum quærens captare popellum,
Cœperit in vitium verti. *F.S.* Rem noſcere tantam
Quî potuit? Num illi limo meliore Prometheus
Cor, pectus finxit, cerebrumque, ut qui omnia rectè,
Et per ſe ſapiat? *A.A.* Minimè. Tellure creatus,
Seminioque pari eſt, ac nos. Sed lex dedit ipſa
Judicis officium, Muſis & Apolline dignum.
Nè tamen hæc leges inter numeretur iniquas,
Nobilis haud adimit Cenſor jura omnia ſcenæ.
Fabellæ ſunt, quas populum ſpectare jubebit;
Et quibus interſit, cùm Roſcius egerit, ipſe.
Quin nova permittet vati argumenta pudenti;
Extra aulam modò nata forent, tractataque rectè.
* *Paſiphae tauri, Pygmæi Pentheſilea*
Concubitu indulget, nec vult ſervire marito.
Non habet uxorem, at jactat ſponſalia bina
Eumolpus; nec turpe putat donare Corinnæ
Magnificas ædes. En, leno Semivir extat

* Tempus erit, cum apertiſſimè planiſſiméque hæc omnia explicare liceat in uſum exterarum gentium & populorum. Civibus noſtris jam ſatis aperta & perſpicua ſunt.

Conjugis ipſe ſuæ: Dum mœchæ nomine gaudet
Fulvia, dum Lais fieri de pellice conjux!
Quis ſilet inſidias, & fœdæ furta Metellæ?
Canidiæ calices, & cœnas Naſidieni?
Cyclopem Galatea tenet; ſed doctior illo
Nunc vendit fratrem, nunc vendit ephippia fratri;
Atque Jovem ſperat mœchum, Corydona maritum
Dum ſtultum fugit. Ah, Corydon ardebat Alexin!
Primores populi Sextus capit; ac ſibi plaudens
Fœnore creſcentes nummorum ſpectat acervos.
At quocunque modo auget rem, inſidiiſque doliſque:
Depoſitumque negans, temnit veterator avarus
Et famam, & ſatiram, & Divos, quos pejerat, omnes.
Talia cantanti facilis cenſura Camœnæ
Dat veniam, dat opes. Verùm carbone notandus,
Comicus an tragicus fuerit, qui audentiùs æquo
Aut ſordes procerum, aut regum vulgaverit æſtus,
Molitus carmen, nunc mecum quale voluto.
**Trojanis ſignare vias, diſponere caſtra*
Quem penes, & toti legem præſcribere Marti,
Garrulus irati Jovis intrat Cotilus ædem;
Jurgia nec vitat, nec verbera nota Tonantis,
Et pugni & calcis patiens. Rex omnibus idem
Jupiter; illuſtreſque duces, miſeroſque miniſtros,
En, æquo pulſat pede. An iſtum ferre poetam
Fas eſt? Non; ſi captârit plebiſque patrumque
Plauſus, ſi Phœbi lauros: †Sit Gaïus ipſe,
Exeat, ah! toties quam lætam fecerit, aulâ.
Nec, ſi Cenſorem Venus obſecret ipſa, moretur;

* Nimirùm hæc Olympi (noſtri) cives curant, & intelligunt lepidè. Nunc autem mihi non eſt tempus fuſiùs explicandi vel dilatandi calcem Jovis. Fulmen gerit: ferit. Et tu, lector, caveto, ſiquando propiùs ſubſequeris Tonantem.

† Joannes Gaïus, Anglus, poeta cultus & elegans, vir leniſſimi animi, ingenui vultus, & vitæ integerrimæ, ſcripſit Attellanam fabulam, [**The Beggar's Opera**] quæ centies ſpectata placuit, centies placebit. Scripſit & Attellanam alteram, quam hiſtrionibus & theatro interdixerunt domini poteſtateſque haud ipſi Veneri exorabiles.

Nec

Nec vatem ſi Diva ſuum comitetur euntem.
Quinetiam veterum mores, & ſcripta cavenda;
Et curâ Cenſoris eget comœdia, ſeu quam
Graia tibi obtulerit, ſeu quam Romana vetuſtas.
Eloquium, numeros, veneres, venamque jocoſam
Ingenî Ariſtophanis quis non miratur? At ille
*Parcere præfectis neſcit, vel regibus uti.
† Indutos ſocco reges committere ſcenæ,
Perſonaſque novas cœlo deducere Plautus,
Et Divos audet dicteria dicere in omnes;
Quæ tollenda forent. Obſcœnum de Jove mimum
Fecit inurbanus. Rex ipſe hominumque Deûmque
Officium, & cives, & deſerit atria cœli;
Fulminaque exutus gaudet levioribus armis,
Ore virum referens, & ‡ rapti prodigus auri,
Virtutiſque ſuæ. Juſſi vigilare Triones,
Sol dormire domi; ‖ ſi non tamen ebrius eſſet.
Regi ſeſe addit comitem furtique viæque,
Et portam explorat ridens lenonius Hermes.
Quorſùm hæc? Ut Divûm rex ſit nocturnus adulter,
Ludibriumque ſuis, perque orbem fabula fiat.
F. S. ANNE hæc, quæ pueri ediſcunt, quæ publicus uſus,
Et quæ mille anni, quin addas mille, ſacrârunt,
Jam limam meruiſſe putes? Pol nullum ego carmen,
Aut quod Cecropiæ, aut Latiæ luſere Camœnæ,
Delendum eſſe reor; quicquid modò dixerit ipſo

* Vide Ariſtophanis Comœdiam, quæ inſcribitur ΙΠΠΕΙΣ, in quâ inſectatur Cleonem Athenienſium ducem, & reprehendit ejus furta & peculatus, etiam tunc cùm Cleon pro ſuo arbitrio adminiſtraret rempublicam.

† Perlege Amphitruonem Plautinum.
Ipſe hanc acturu' ſit Juppiter Comœdiam!
Quid admirati eſtis? quaſi vero novum
Nunc proferatur Jovem facere hiſtrioniam.
MERCURIUS in Prologo.

‡ Pateram auream uxori uſurariæ condonavit rex Jupiter, ſive Pſeudo-Amphitruo; quam clanculum & per præſtigias de ciſtulâ veri Amphitruonis exemerat. Vid. Amphitruon. *Act.* II. *Sc.* I.

‖ *Credo edepol equidem dormire Solem, atque appotum probè.* Amphitruo, *Act.* I. *Scen.* I.

De

De Jove liberius, quicquid modò fecerit audax.
Antiquos mores ſi quis præſentibus aptat,
Ex fictis vera exquirens, facienſque malignus
Interpres tecum, ut narret comœdia priſca
Res hodiè geſtas, Divûmque in nomen euntes
Heroas noſtros; quid poſthâc ſcribere tutò
Fas doctis? Quæcunque feros monuere Britannos
Socraticæ chartæ, quæcunque volumine ſacro
Præcepit Moſes, jam fiant ſcommata. *A.A.* FIANT.
Hic mos, hoc vitium eſt magnis. Dormitat Homerus,
Miles ait ſimilis Therſitæ, qui mihi nomen
Indidit impurum. Ceſſat laudare Maronem
Rufillus, vultus ex quo mentemque Sinonis,
Et Bavii ingenium ſibi vindicat. Eſt etiam qui,
Si canis, ut regno detruſus venerit olim
Rex Nebuchadonoſor paſtum huc per prata juvencus,
Se credat, moreſque ſuos, ſenſuſque notari;
Multùm indignatus ſe inſueta ad pabula cogi,
Armentiſque boum immiſcerier. Ocyùs at tu
Iratum fugito: Cornu petit ille canentem.
Quæ legit indoctus, raptim legit omnia, falſa
Veris, priſca novis confundens, ſacra profanis.
Si mollis Quæſtor ſit, cirratuſve Tribunus,
Aut propior regi, & paulò iracundior, idem
Hæc ad ſe trahit; & ſcripti genus odit iniquus.
F.S. SIC quiſquam legit, atque intelligit omnia? Et aula
Turbam indoctorum capit? *A.A.* ET capit, & fovet.
Ergo
Haud equidem invideo noſtro ſua carmina Flacco,
Scribere ſi ſatiras inſanus pergit. Et ipſe
Jam caveas, nè cui ſis vero nomine notus;
Præcipuè quibus eſt veſtros permiſſa poteſtas

Vendendi libros: Nuſquàm benè creditur illis.
F.S. Ah, nôrunt, qui ſim! Et fruſtra latuiſſe volebam
Nomine ſub magno, ſolitus mea dicere in aurem
Seria perpaucis, & nocti fidere. Verùm
Quis commiſſa tegit? Vel ſi tegit; undique notus,
Quod fieri vix poſſe putes, cantabitur auctor.
Quæ proferre nefas, nos omnia dicimus omnes.
Imperii, Auguſtæque domûs arcana profanum
Scrutatur vulgus. Si pellex, pſittacus, uxor,
Si chartæ, ſi Dii ſileant, arbuſta ſonabunt.
Læta licet nunquam penetravi limina regum
Ruſticus, ipſe tamen potui cognoſcere mores
Rufini; atque mihi antè oculos adſtat Mida, qualem
*Cannarum lucus, qualem cecinere poetæ.
A. A. Ruſticus es quamvis, nunc cùm ſis notus in aulâ,
Hei tibi quàm metuo! Metuo tutiſſima. Novi
Quippe vir experiens, quàm multa pericula vates
Circumſtant miſeros, injuſſa, ingrata canentes.
Et tibi quid prodeſt duros memorâſſe Catones?
Quid Libertatem pulchram bis terque ſonando
Hîc feciſſe Deam? Quis adoret numen inane?
Adſpice, felici mutentur ut omnia ſeclo;
Ore animoque uno firmentur ut omnia; ut ipſa
Calliope proſtet pretio, ſatiramque benè uncta
Oderit agreſtem. Et tu deſine plura; meiſque,
Quæ veteri vetus, & fidus dat amicus amico,
Utere conſiliis. Ingentem ſuſpice †Menam,

* Cannarum lucus, *Lucus creber arundinibus.* Vide Fabulam Midæ apud Ovid. Met. Lib. II.

† Menas libertus fuit Pompeii magni (atque *Magni* nomen ex rebus actis & auctis ipſe adeptus eſt) quo mortuo filii Sexti amplexus eſt partes. Ditatus a Sexto, cum prodit, & transfugit ad Auguſtum Cæſarem. Mox ad Sextum rediit prodito Auguſto. Poſtea Sextum rurſus prodens, & ad Auguſtum reverſus jus impetravit, ut annulum aureum (pretium ſceleris) geſtaret. Et id ſpeciale habuit; quippe legibus cautum erat, ut nemo annulum aureum geſtaret præter Senatores & Equites. Tanto honore inſignem, & grandi petunia ſuperbum carmine proſcindebat Horatius, etiam tunc cùm Menas familiariter Cæſare utebatur. Vid. Horat. Od. IV. *L. Epod.*

Aureo qui fultus ſolio Jovis. Illius eſto.
Nam ſatis ipſe diu cuſtos es pauperis ædis.
Jamque optat ſibi *Thrax veſtrum conſcribere nomen,
Atque augere ſuam Romano umbone phalangem.
Ille monet, quo jure Lares (tu diſce monendus)
Aſpernêre pius tenues, & qui malè ſani
Fabricios ſimulant, obliviſcare tuorum:
Quid ſis, quo valeas pacto, accedaſque beatis:
Quâ ratione queas firmus defendere Menam;
Seu ſtudia & mores domini laudare juberis,
Seu regi infenſos impunè laceſſere Brutos;
Seu nunc magna loqui; ſeu nunc quaſi vera referre,
Quæcunque argutè fingas, ſcelerique doliſque
(Si ſcelus atque dolos mens incorrupta coacta eſt
Moliri, & patriæ causâ peccare tuendæ)
Aut nubem objicere, aut populi lenire dolorem.
At poſtquàm tibi fas magnis præludere rebus,
Gratiaque omnis ineſt ſermonibus, & ſatis ipſi
Te tibi conſulere eſt æquum, monitoris egentem
Nullius; poſtquàm es certus conviva, comeſque
Auriferi Menæ; quid non ſperare licebit?
Divitiis auctus nummos in fœnore ponas:
Hortos, prædia emas: Etiam cœleſtia tentes
Æmulus †Ambrosii, tituliſque ornatus & oſtro
Incedas, Divis vel par vel proximus ipſis.
Attonitus nec in hoc ſtupeas, dubiteſve modeſtus,
Tale quòd oblatum fuerit tibi munus inepto.

* Thrax, ſive Tax, ſive Pax, Menæ libertus ab antiquâ ſtirpe Capriorum ortus, & Caprio Miltoniano ita ſimilis, ut nec lac lacti, nec aqua aquæ ſimilior. Præeſt enim hic noſter Pax diurnis, hebdomadalibus, & anniverſariis poetis, rhetoribus, oratoribus & ſophiſtis, qui ad nutum & arbitrium Menæ ſcribunt, perorant, verſificant, hallucinantur, convitiantur, criminantur. Mirum, ni faciant: in ejus enim manu eſt, ut edant, ut pereant. Vid. Not. ad ℣ 134. in *Epiſt. Milton.*

† Epiſcopus ****enſis, nomine (poetico ſcilicet) referens Mediolanenſem illum Epiſcopum, qui floruit temporibus Theodoſii, & Honorii, & unus fuit ex patribus Latinis Cardinalibus. Nihil verò tam diſſimile, quàm Ambrosius noſter ****enſis, & ille alter Mediolanenſis Epiſcopus.

Quid

Quid mirum; ſi ultrà cupiens fortuna jocari,
Quæ modò plebeio faſces, magnumque tribunal
Infido ſcurræ permiſit iniqua regendum,
Quæ fabro donavit opes & rhetoris artem,
Piſtori pallam, Cyclopi præmia ſcribæ,
Et quemo laudes, tibi dicat, Epiſcopus eſto?

FINIS.